



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Anastasio Senonensi Archiep.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

gram sanitatem recuperarunt, interque eos claudus gradiendi facultate donatus. Postridie, matutinarum tempore, surdus auditum consecutus est : alius a primo suo ortu mutus loqui ac collaudare Deum cepit : energumenus ab infami hospite liberatus : cæcus, dum Missæ sacrificium Aldricus offerret, visum recepit. Quæ non tam S. Juliani meritis, quam Aldrici precibus tribuenda sunt; testante Deo quam sibi doctrina ejus ac vita, tot piis sanctisque operibus cummulata, placerent. Tandem cum quatuor et viginti annis diocesim suam anectens ac feliciter administrasset, r lenta febris exhaustus obiit, sepultusque est viii Januarii in D. Vincentii templo, ac vitam cepit vivere cum Christo beatam ac immortalem, cui sempiternus sit honor et gloria, Amen.

a Franconem I ait *Claudius Robertus* sedisse annis xxii, mensibus iii, diebus iii. Franconem II, annis xvi, mens. v, dieb. xv, unde sequetur, non potuisse a Francone II, institui Aldricum, ac deinde ad Caroli Magni aulam venire; nisi vel post Franconis mortem diu vacasse Sedem dicamus, vel certe ab eo institutum vivo etiamtum Francone I.

b De eo xxviii Januar. obiit an. dcccxiv.

c *Celebris in Gallia Belgica urbs, inter Coloniam et Trajectum Mosæ.*

d *Obiit Gondulphus anno dcccxxiii.*

e *Ea est Cathedralis.*

f *Drogo Caroli Magni filius naturalis, sub canonico habitu nobilissime vivens, unanimi Cleri ac populi consensu electus est Episcopus, eodem anno.*

g *Alis etiam Lantrannus, et Landrannus dicitur. Numeratur inter Missos Dominicos Ludovici Pii, post Concilium Attiniacense ann. dcccxxii habitum. Iterum in Capitulari III, anno dcccxxviii capitulo I, nominatus reperitur, et in Conc. Parisiensi vi an. dcccxxix, ac tandem in depositione Ebbonis ad Theodonis villam.*

h *Vicus est ad lævum Sartæ fluvii latus, supra Cenomanorum urbem.*

i *S. Juliani vitam dabimus xxvii Januarii.*

k *Vulgo id cœnobium S. Juliani de Prato dicitur: est monialium Ordinis S. Benedicti.*

l *Coluntur xix Junii.*

m *Et die adnotatur ea translatio in Martyrologio Germanico, et Usuardi aucto a Carthus. Colon. itemque in edito Parisiensi an. mdxxxvi.*

n *Sarta Alençonium, post Cenomanorum urbem alluit; ac deinde Medunæ permistus in Ligerim se exonerat.*

o *Est id juxta urbem; nunc congregationis Casalensis, ut testatur Cl. Robertus.*

p *Normanni circa S. Aldrici ætatem maritimas Gallia provincias infestaverunt, ut videre est apud du Chesne in Normannicis. q Id anno dcccxxxiii contigit.*

r *At supra dictum est paralyti confectum; nisi, quia ea fuisse videtur diuturnior, febris etiam accesserit.*

DE S. ANASTASIO SENONENSI ARCHIEP.

CIRCITER
AN.
DCCCCLXXIX.
VII JANUARI,
S. Anastasii
natalis.

Senonensis in Gallia Archiepiscopus LX memoratur a Claudio Roberto, Joanne Chemu, et Demochare, Anastasius. Hunc Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani inter Sanctos commemorat, his verbis : Apud Senonas S. Anastasii Episcopi et Confessoris, sanctitatis et abstinentiæ exemplis ac meritis clari.

Abstinentiæ,
aliæque virtu-
tes.

2 De eo hæc tradit anonymus monachus S. Mariani in sua chronologia : Archebaldo mortuo eligitur Anastasius vir Deo dignus. Hic miræ sanctitatis et abstinentiæ fuit, vigiliarum amator continuus, et eleemosynarum distributor largissimus. Clericorum nutritor, monachorum potissimum venerator. Hic ab illo die quo Sacerdotium sumpsit usque ad finem vite carnem non comedit, nec indutus est lino, sed semper usus est cilicio. Huic B. Savinianus apparuit comminans et contestans, ut ecclesiam S. Petri restrueret. Tunc sanctus Præsul locum sanctum reparare cepit, monachos revocare, terras prædiæque redimere. Ecclesiam quoque S. Stephani perfecte reparasset, nisi citius ex hoc mundo migrasset. Qua nocte autem obiit, cuidam germanæ ipsius sanctimoniali in monasterio S. Farae Angelus Domini apparuit, dicens : Sciatus hac nocte S. Anastasium ad Dominum migravisse;

Publica opera.

surgite itaque et hymnos Domino decantate. Quæ surgentes et diem notarunt et horam, et ita invenerunt factum, sicut ab Angelo fuerat nuntiatum. Post S. Anastasium Sevinius præfuit, vir Deo devotus. Ita ille; ac paullo post : Hic jaeturam monasterii S. Petri vivi, quam Anastasius prædecessor suus relevare cœperat, in pristinum restituit statum. Est monasterium hoc longe antiquissimum, vulgo S. Pierre le vif, et S. Pere. De eo xxvi Augusti in vita S. Ebbonis, et alibi agemus.

Mors ab Angelo alibi nuntiata.

3 S. Savinianus sive Sabinianus, Senonum Apostolus, celebratur in Martyrologio Romano xxxi Decembris; nos de eo agemus xix Octobris. S. Stephani Metropolitana ecclesiæ, quam Anastasius reparare cupiebat, incensa et eversa erat sub Archebaldo, restaurata a Sevino. De S. Farae nobilissimo monasterio agemus in ipsius vita vii Decembris.

4 S. Anastasium sedisse ait Cl. Robertus annos x, mensem I, dies xiii, obiisse anno dcccclxxviii. Sed ut sibi constet, cum dicat decessisse Archebaldum anno dcccclxxviii intelligenda hæc sunt veteri more Gallicano, quo annum a Paschate auspicabantur; atque ita ordinatus dicitur Anastasius anno dcccclxxviii, die xxiv, vel xxv Novembris, obiisse vii Januarii an. dcccclxxix, qui tum usque ad Pascha censebatur dcccclxxviii.

DE BEATO VITALE ABBATE SAVINIACENSI.

CIRCA
AN. CHR.
MCCX.
VII JANUARI,
Vitalis na-
talis.

Vitalis Abbatis Saviniacensis natalem hodie refert Chrysostomus Henricus in Menologio Cisterciensi his verbis : Saviniaci in Gallia B. Vitalis Abbas, qui virtutibus et miraculis celebris e vita discessit. Andreas Saussayus in Martyrol. Gallicano, eodem die : Pio hodie exitu decessit venerabilis memoriæ Vitalis Abbas Saviniaci Ord. Cisterc. virtutibus et signis egregie decoratus. Et quidem solum inter Pios, quibus nullus adhuc publicus decretus sit cultus, commemorat Vitalem Saussayus. At solemniter ab Episcopis elevatum ejus corpus, indubie ad aliquam venerationem, testatur Hugo Menardus, qui Kalendis Maii ista habet in suo Martyrologio : In territorio Abrincensi elevatio Sanctorum Saviniacensium, nempe Vitalis, Gaufridi, Guillelmi Abbatum, Petri et Hamonis monachorum. Libro deinde 2 Observationum ista scribit : Horum beatorum Abbatum et monachorum Sa-

Translatio.

viniacensis cœnobii corpora honorifice elevata sunt, et reposita in quodam loco ejusdem cœnobii, ab Episcopis Cenomanensi, Abrincensi, et Redonensi : in ejus memoriam fit quotannis in eodem cœnobio solemnis processio Kalendis Maii. Subdit deinde de singulis plura. Andreas Saussayus eodem die illius translationis meminit, sed Vitalis nomen omittit. Est Saviniacum, sive, ut infra vocatur, Savineium, vulgo Savigny, in confinio Normanniæ, Britannia, Cenomania, et Andium, situm, ut testatur Cl. Robertus, unde hæc translatio a vicinis Episcopis facta, Rhedonum, vulgo Rennes in Britannia, Cenomanorum, et Abrincatum in Normannia, vulgo Auranches, cujus et diœcesi continetur cœnobium; conditum, ut ait Menardus, ann. mxxii. Radulpho Barone Fulgeriarum ad id facultates suas conferente.

2 De hoc fortassis Vitale Abbate agit ms. Florarium

XXIX